



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sanctissimo Christi Iesv Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine

Coloniae Agrippinae, 1620

Secundus fructus. Diuinæ legis observatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)

que vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate DEI quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.

Secundus fructus. Diuine legis obseruatio.

Lex noua, lex quidem est, atque adeo præceptorum onus imponit, sed est lex amoris Christi, qui vt efficacissim⁹ est exactor totius legis; ita etiam est suauissimus: Discite inquit à me, quia mitis sum & humilis corde, & tollite

Matt. II.

iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue, quare iugum suaue, quare onus leue? eadem enim precepta antelegem, hominibus data sunt, sed ideo iam suauius, quia tanta per Christum effusa est vis amoris, tam eximia beneficia collata, tantæ legislatoris amandi illecebræ manifestatæ sunt, tanta bonorum æternorum promissio facta, tanta abundantia gratiæ dispersa, ut iam nihil sit facilius quam legem seruare, imò omne pondus pene sublatum esse videatur. Nam iusto lex non est posita, quid enim opus, lege cogente ab extrinseco quando

amo-

amoris pondus ab intrinseco
in id omne inclinatur quod Deo
& CHRISTO gloriosum, bo-
numque & beneplacitum es-
se potest? Charitas enim
CHRISTI urget nos. Verus
CHRISTI amator non con-
siderat legem, non atten-
dit obligationem, sed legisla-
toris amorem, & inestimabi-
lem bonitatem, quæ digna est
ut perfecta subiectione omni
creaturæ clarificetur. Merito
ergo Christus Dominus, Qui
diligit me, inquit, sermonem
meum seruabit; quo non tan-
tùm significat sine observa-
tione legis stare non posse a-
morem, sed etiam quanta fa-
cilitate is qui gustum amoris

104.14.

Christi habet, legem impleat.
Quomodo enim fieri potest,
vt facile peccet qui sincere
Christum amat, & tenerè erga
illum afficitur, quem pro pec-
catis tanta passum esse credit,
& cui scit peccatum quodli-
bet summè displicere? Et cer-
tè qua proportione crescit æ-
stimatio bonitatis inæstima-
bilis Dei, eadem etiam augetur
odium ac detestationem om-
nis peccati necesse est. Cum
igitur amor Christi Iesu, si ve-
rus sit, huius diuinæ bonitatis
tam effusè exhibitæ homini-
bus æstimationem summam
contineat, sine dubio procul
voluntatem ab omni foedita-
te peccati remouet. Quare

I IOAN.

verus

verus Christi amator Aposto-
 lus; ōnis, inquit, qui in Chri-
 sto manet, nō peccat, & omnis
 qui peccat non vidit eū, nec
 cognouit eū, ac proinde cum
 eum non ita cognoscat, nec
 etiam æstimat, aut diligit, & i-
 deo peccat. Et paulò post: O-
 mnis, inquit, qui natus est ex
 Deo, peccatum nō facit, quia
 semen ipsius in eo manet, &
 non potest peccare, quoniam
 ex Deo natus est: non quod
 absolute peccare non possit,
 sed quia quamdiu diuinū hoc
 semen amoris Christi fouet in
 pectore, fieri non potest vt
 non proferat suauissimos fru-
 ctus obseruationis mandato-
 rum Dei.

Ioan. I.

Ibid.

Sparge & foue, ò bone Iesu, in terra cordis mei semen hoc amoris tui, & sterilitati eius medere, vt nunquam peccem, nunquam non integros obseruationis legis tuæ fructus ad maiorem gloriam tuam proferam, & quæ tibi, quæ Patri tuo placita sunt semper faciam.

*Tertius fructus, obseruatio consiliorum
Dei.*

Non dedit tantùm nobis Christus legem, sed etiam cū esset magni consilij Angelus, proposuit diuina planè ad perfectiorem legis obseruationem cōsilia. Hæc vt sequamur impellit fortiter Christi Domini, qui ea tradidit, di-

gnitas,